

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Beneficiencia siue beneficium k
cum fontibus proximo et primo

Multum interest utrum
quis beneficium nobis det sua causa an sua et nostra.
Ille qui totus ad se spectat et nobis prodest
quia aliter sibi prodesse non potest,
eo michi loco habendus uidetur,
quo qui pecori suo

pabulum prospicit.

Si me in consortium admisit,
si duos cogitavit, ingratus sum et iniustus
nisi gaudeo hoc illi profuisse quod proderat michi.
Summe malignitatis est non uocare beneficium
nisi quod dantem aliquo incommodo afficit.

Seneca libro VI. de beneficiis.

Ad tertium dicendum quod, sicut Seneca dicit,
in VI *de Benefic.*,
multum interest utrum
aliquis beneficium nobis det sua causa, an sua et nostra.
Ille qui totus ad se spectat, et nobis prodest
quia aliter sibi prodesse non potest,
eo mihi loco habendus uidetur
quo qui pecori suo

pabulum prospicit.

Si me in consortium admisit,
si duos cogitavit, ingratus sum et iniustus
nisi gaudeo hoc illi profuisse quod proderat mihi.
Summae malignitatis est non uocare beneficium
nisi quod dantem aliquo incommodo afficit.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda
secundae*, 106.3.resp.3 (P. Caramello ed., p.501).

Multum enim interest, utrum
aliquis beneficium nobis det sua causa an et sua.
Ille, qui totus ad se spectat et nobis prodest,
quia aliter prodesse sibi non potest,
eo mihi loco est
quo qui pecori suo
hibernum et aestium
pabulum prospicit;
eo loco est, quo qui captiuos suos,
ut commodius ueneant,
pascit et ut opimos boues saginat ac defricat, quo,
lanista, qui familiam summa cura exercet atque ornat.

Lucius Annaeus Seneca, *De beneficiis*, 6.12.2 (F.
Préchac ed., vol.2, p.44).

Licet id ipse ex maiore parte possideat,
si modo me in consortium admisit,
si duos cogitavit, ingratus sum, non solum iniustus,
nisi gaudeo hoc illi profuisse, quod proderat mihi.
Summae malignitatis est non uocare beneficium,
nisi quod dantem aliquo incommodo adfecit.

Lucius Annaeus Seneca, *De beneficiis*, 6.13.2 (F.
Préchac ed., vol.2, p.45).